



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opusculum Theologico-Canonicum De Sponsalibus**

**Kugler, Johann**

**Norimbergæ, 1705**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40883**



Ad  
LECTOREM.

**A**B aliis Opera, à me Opusculum, tenuitati scilicet meæ, & temporis angustis commensuratum accipe Lector bene-vole, de quo tamen asscurare Te possum, ex Celebriorum, nec paucorum Authorum Operibus diligenter evolutis, & omnibus, qui allegantur, utriusque Juris textibus accuratè inspectis, esse concinnatum. Theologico. Canonicum inscribere, materia suadebat, ità communis Theologis, & Canonistis, ut ei ex fundamento enucleandæ, nec soli Canones sufficiant, nec Theologia. Utrisque ut stylum accommodarem, Opusculi contextum methodo Canonicâ, Quæstiones verò insertas magis Theologicâ, formæ Scholasticæ alligatâ, pertractavi; Et fusiùs quidem, tum ut frequentioribus circa Sponsalia dubiis, nec passim apud alios plenè reso-





resolutis, consulerem; tum ut Opusculum melius disputationi publicæ adaptarem, utpote in arena Academica producendum, nisi vicinus Mars bonas Mecenatum intentiones aliò divertisset. Ex vastissimo Juris Canonici Oceano materiam de Sponsalibus potissimum delegi, quòd crederem præ quacunque alia pluribus profuturam; cum ejusdem notitiam utriusque fori, interni, & externi arbitris summe necessariam esse non ignorarem. Totum Opusculum, primò quidem post DEUM, castissimis Sponsis, Sponsorum prodigiis, MARIÆ & JOSEPHO, ex asse consecratum, Tibi benigne Lector defero, non ægrè laturus, si, ut fieri amat, non omnibus opusculi assertis subscripseris; Lectorem Te volui, non discipulum; hunc ipse acturus, si à jure, authoritate, & ratione magis firma attuleris. Vive & vale.

J. K. S. J.

) ( 3

IN-